



R Odys. Pb. iniiio.

rur concinnè describit, ita Penelopem domesticum ostium aperientem inducens (k). Accepit clavem bene flexam manu forti, pulchram, aream, manubrium autem eboris incrat... Statim lorum solvit annuli; clavem at immisit, januarum autem pepulit seras ante prudenter permovendo: ha autem resonaverunt velut taurus pascens prato, tantum sonuerunt pulchra porta percussæ clavi. Aperta sunt citò. Quare clavis ad vincula resolvenda multo quam hodie major, ligneaque erat vel eburnea in falcis modum retorta qua involucre liberatus vinctus removebatur. Claves quidem retortæ apud rusticos adhuc manent; quamquam non nisi ad removendum pessulum aut vestem ligneum, qui intra murum reconditus, eductus deinde ac foribus appositus januam occlusam firmat. Tandem foramen illud in medio januæ patens ad brachium inferendum apertissimè in-

I. Alibi l. 4.

m Idem l. 1.

Apulejo paret (l): Lamachus spectata virtutis suæ fiducia, qua clavi immittenda foramen, sensim immissa manu, claustrum evellere gestiebat. Et alibi ita de pessulo (m): Subditi clavi pessulos reduco. Porro januæ exterius, & interius obserabatur; nullo adhibito clavis usu. Ad egressus è cubiculo Eglonis ostium claudit, non incuriosè, nullâ appositâ clavi, ut S. Augustinus observat [n]; quamquam sine clavi ostium illud aperiri deinceps non potuisset; cujusmodi sunt apud nos seræ, quæ veruclatè dicuntur. Homerus Penelopem describit unam tantummodo ostii partem claudentem (o). Januam atraxit annulo argenteo, insuper autem pessulum obtendit loro.

n In Judic. 9. 23. Aut tale claustra genus fuit, quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiri, nam sunt quædam talia, jicut ea, quæ Veruclata dicuntur.

o Odys. A. v. antepen.... p In Solin.

Præter eas claves alias etiam obtinuisse, docet Salmastius (p), quibus alterius generis vestis retineretur & ad januam adstringeretur. Clavo in cocleæ modum perforato vestis insertus, cui deinde removendo recludendisque foribus clavis in promptu erat spiralis, quæ spirali item circumvolutione intra clavam inserta ac deinde retracta simul & clavam reducebat. Ita aperta valvæ amoto, sive spontè decidente veste. Porro clavem illam appellabant Balanogran, & clavam Balantin, quæ omnia Aristophanes ejusque Scholiastes insinuant non obscure; Seram aut vestem diligenter inspicere, ne pessulorum claustra (Græcè balanon) possit rodere (q). Successu temporum Laconicarum clavium usus pronissimus & tutissimus omnium ad id usque obtinuit; quibus ostium exterius claudi potuisset absque eo quod per foramen januæ brachium, uti prius, infereretur. Crucis formam referentes (r), tribus erant dentibus instructæ; & si quando claudi aliquem intra domum contigisset, nulla illi aperiendi fores erat potestas, nisi exterius recluderentur. Autumat Suidas (s) vestem sive pessulum in Laconicis feris exterius appositum fuisse, ut si quis domum ingredi vellet, nunquam posset, nisi clavi immissa. Porro artificium illud minus conducebat foeminis, quæ in his regionibus, adibus clausæ tenebantur. Quare ita apud Aristophanem conqueruntur (t): Non ultra nobis licet, uti antebac, viros decipere. Viri enim jam claviculas ipsi ge-

q Aristoph. in Vespr. act. 1. sc. 2.

r Vide Salmast. in Solin.

s In v. Laconicæ.

t In Tesmophoriæ.

stant occultas, callidissimas, ac maxime malignas, Laconicas quasdam tres habentes claviculas. Sed prius quidem certè licebat aperire fores facientibus anulum triobolo, & vili precio. Nunc verò iste ipse verna Euripides docuit minuta, & quasi tenebris corrosa habere sigilla appensa habentes. Porro claves hæc vermiculis abrosas, vera esse lignea frustula cariota contendunt Scholiastæ, quæ scilicet ligna cere applicata sigilli loco essent, immò & sigilli tutoris, quippe quod falsari sigillum posset, ligni illius impressa figura non posset (u). Sed vix ego crediderim pro sigillis ligna cariota obtinuisse; facilius enim autumarem in annulis gestata sigilla, quæ formam referrent ligni carioli. Contigit insuper mihi spectare inter cymelia D. Abbatis Faurel anulos quosdam areos, habentes pro sigillo plura varia, & inæqualiter asurgentia puncta, quæ sanè in cera varias imprimere punctiones, vix adulterandas, nec malè carioli ligni figuras referentes debuerunt.

u R. set. in Aristoph. pag. 790. & Suidas in Thripedella. Pauljan.

Cæterum de anulis multis forulis distinctis, ac de clavis Laconicis, nihil in Scriptura expressum; sed anuli obsignandis foribus non raro occurrunt. Daniel fores Templi Bels Regio Darii anulo obsignavit [x]; eodemque insuper obsignabatur ostium laci leonum (y). Moyles Domini verbis ait: Nonne hæc condita sunt apud me (nempe pœna ab impijs solvenda) & signata in thesauris meis (z)? Job. 9. 7. de Deo; Stellas claudit quasi sub signaculo. Sponsa in Cantic. 8. 6. optat poni se veluti sigillum in sinu, & brachijs Sponsi sui; eamque vicissim Sponsus comparat fonti ob signato [a]. Eccli. 22. 33. optat custodiam ori suo opponi, & sigillum labijs; ac tandem tumulus Jesu Christi sigillo obfirmatus est (b). Hunc anulorum rebus condendis usum post bellum Troianum obtinuisse Plinius contendit; namque ait tunc conditis areis vestes, vasque aurea, & argentea, & ea colligata nodi non anuli nota Homerus indicat (c). Sed falli virum ex adducto Moylis testimonio aperte convincimus. Plerumque Veteres claves areæ sunt, nostris breviores, quod mirè conjectura illorum favet, qui catenarias seras olim & frequentissimè obtinuisse arbitrantur. Constat id, quantum assequor, ex Petronio:

x Dan. 14. 13. 14. y Dan. 6. 16. 17. z Deut. 32. 34.

a Cantic. 4. 12. b Matth. 7. 66.

c Plin. 1. 33. cap. 1.

Dum loquimur, sera sua sponte decidit.

Manere adhuc nostrâ ætate in Oriente, plurimum ea loca peragrantium testimonio sciimus (d). Et in Musæis DD. Foucaut Fauvel & Girardon Parisijs anuli arei spectantur, ferentes clavim sigilli loco; quæ sanè claves vix alium habere usum possent, quam pro catenarijs feris vel arculis.

d Tavern. cap. 4. pag. 43.

In toto Oriente seræ, & claves ligno constant (\*). Clavis autem aliquando brachii crassitudinem æquantibus, plerumque pollicis, utuntur; quadratæ sunt, oblongæ, cuspidibus ferreis s; vel 6. per intervalla dispositis armatæ. Porro claves illæ in seras immittuntur non directè sed per latera, & in obliquo; quibus autem arman-

\* Vide Cotovic. c. 11. Villemon. l. 2. c. 32. Morizæn. l. 1. c. 11. Tavern. Voyag. de Perse c. 4.

tar clavi in clavos intra seram positos impliciti vestem ducunt, reducuntque, prout fores claudendæ sunt vel recludendæ. Seram illam parvum referre irpicem testatur Chardin [Gouvern. polit. des Perles to. 2. p. 79. Iquo in lignum quoddam extentum immisso valvas oblerari; superius autem demissam clavem ferreis cuspidibus armatam irpicem attollere. Vide etiam Dandini. (Voyag. du Mont Liban p. 7. c. 14.) Cujus sint antiquitatis claves istæ prorsus nescimus; sed apud Isaiam Dominus fidem suam obligat Eliacim filio Helciæ (e), daturum se clavem domus David super humerum ejus. Extant etiam imagines veteres ex Ægypto relatæ, in quibus viri exhibentur impositam humeris gestantes clavim retortam, vel etiam clavim ferè sola magnitudine à nostris diversam. Ad eas facile grandiores lignæque claves spectare potuit Isaias.

e Isai. 22. 21. 22.

Magnificam domorum supellectilem nunquam amarunt Hebræi; neque hodie usque finitimi Judææ populi usum norunt aularum, fellarum, cubilium, picturarum, atque statuarum, tum & similiarum. Tota domorum supellex constat ampliori tapete super pavementum instrato, atque ditissimis nonnullis pulvinaribus super Sopham positus. In strato ad vesperam tapete lectus paratur pannis, & culcitris; manè omnia remouentur, ut vacuum per diem cubiculum appareat. Hi mores omnium ferme Orientalium à quibus aliquantò recessisse Hebræos constat, apud quos nec sedilia deerant, nec tumultuaria erant cubilia. Salomonî Regum opulentissimo, auro ministrabatur; nihilque ipse sibi ad corporis & animi delicias reliquum fecit (f); nihil tamen de supellectile Regiæ ipsius domus scriptum superest. Rex Tyri cuius opulentiam & fastum Ezechiel. 28. 13. describit, gemmis & auro ipse, pretiosis metallis Regia domus nitebat. Urbem Tyri ditabant panni, gemmæ, & mercium pretiosissima quæque.

f Eccl. 2. 8. & 3. Reg. 10. 21.

Naves ejus gentis ebore distinctæ erant, & velis purpureis. Quo sanè tempore Israhitarum opes increverant adeò, ut argentum non minus quam lapides suppetere (g); supellectiles etiam divitiis respondisse debuerant; sed nos consuetos Israelitarum mores, non infuetam temporis aliquid conditionem respicimus. Quid igitur solerent Hebræi colligimus ex hospitio à Sunamitide Eliseo parato (h): Faciamus, inquit, ei cenaculum parvum, & ponamus in eo lectulum & mensam, & fellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Gravioribus quidem verbis exaggerat Propheta & pompas ornamentorum, & vestium cultus, ac tandem ædificiorum superbiam; nihil tamen unquam de supellectilium apparatu exprobrarunt. Occurrit aliquandò mentio de stratis sub pedibus pannis, quibus assideret, vel de pulvinaribus quibus inniti consueverunt. Amos 2. 8. verbis castigat divites, qui super vestimentis pignoratis (nempe in pignus ab egenis receptus) accubuerunt. Ezechiel 13. 18. in Pseudo Prophetas invehitur, qui, ait, perniciosâ assentatione molle pulvinar omnium brachijs subjiciunt. In toto Oriente manet hodie usque tapetum & pulvinarium usus. Fœmina prostituta Prov. 7. 16. amasium suum his verbis invitat: Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum in yrrhâ, aloë & cynamomo. Porro lectulorum usus non in Cant. 3. 7. tantummodò, ubi de lecto Salomonis sermo, sed alibi etiam frequenter in S. Scriptura, quemadmodum & fellarum, apparet. Apparet etiam apud Ezechielem 23. 41. lectuli, mensæ, unguenta super mensas posita: Sedisti in lectulo pulcherrimo, & mensa ornata est ante te. Thymiama meum & argentum meum posuisti super eam. Invehitur Amos 6. 4. in divites super eburneos lectulos cubantes, quorum omnia luxum spirant & voluptates.

g 3. Reg. 10. 27.

h 4. Reg. 4. 10.